

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. LXXXVI.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

LXXXVI. Quæ cum ita sint, apparet utique, quod in sensu Scripturæ S. investigando, rationis etiam usus sit egregius & maxime necessarius: Id quod tamen non ita accipiendum est, ac si rationis decemperdā omnia quæ de fide in Scripturis S. traduntur, sint dimetienda, hoc enim pacto rationem simpliciter pro fidei principio assumeremus; sed ita ut leges Consequentiarum, & omnia Axiomata Philosophica quorum conrradictoria vel mediate vel immediate contradictionem involvunt, etiam hic suum locum habent, nec in dubium ea vocare liceat. Illud enim principium: Impossibile est idem simul esse & non esse, ab ipso Deo, naturæ nostræ adeo firmiter impressum est & quasi insitum, ut hominis nomen vix amplius mereatur, aut mente plane captus sit habendus, si quis cum VVeiglio illud plane rejicere, vel aliquid huic principio contrarium velit statuere. Quæcunque igitur ex hoc principio naturaliter deducuntur (qualia sunt principia potissima Exegeſeos, nec non omnes Consequentiarum leges) illa etiam in Theologicis locum habere debent, adeo, ut si quis aperte posset demonstrare, quod v. g. mysterium SS. Trinitatis contradictionem involvat (id quod tamen in æternum nunquam futurum est) tum agnoscendum esset, mysterium hoc esse *contra rationem*, adeoque nec pro vero habendum esse, cum mysteria quidem *supra rationem*, at nunquam contra rationem esse debeant. Hinc in Scripturis explicandis principia Exegetica a primo nostræ rationis principio fluentia indubitatae habenda sunt veritatis, & quicquid ex illis evidenter concluditur, pro vero ut recipiatur necesse est. Sit enim e. g. proposita *Quæſtio An Capit. II. Joelis impletum jam sit, nec ne?* Hujus *Quæſitionis*

J. B. 90.5 af.

affirmativam ex principiis Exegeticis ita deduco :
 Pono primum hanc hypothesin : Caput hoc, uti ejus
 partes ordine loci se subsequuntur, ita ordine tempo-
 ris implendum erit : Probatur hoc ex Connexione, nam
 à v. 1, usque ad 11. una eademq; res commemoratur.
 Deinde usq; ad v. 17. dicitur, quidnam faciendum sit
 illâ tempestate, qua id eventurum est, quod ante
 prædictum. Porro usque ad v. 27. prædictum, quid
 Deus post ablatam illam calamitatem, de qua initio
 Capitis Propheta locutus erat, facturus sit. At. v.
 28. commemoratur aliquid quod evenire debet POST
 ILLA, & quidem usq; ad finem. His igitur nexi-
 bus contradictrius esset, si quis negare vellet, partes
 hujus Capitis eodem temporis ordine implendas esse,
 quem obtinent ratione loci. Hoc præsupposito vi-
 deo, quod D. Petrus ea quæ ultimo loco v. 28. seqq.
 in hoc Capite prædicuntur, tempore Apostolorum
 implera jam esse afferat, Act. II. 16. seqq.; unde per
 legitimam Consequentiam infero, quod etiam totum
 hoc Caput jam impletum sit, siquidem ea quæ initio
 dicuntur ante illa quæ in fine prædicta sunt, fuerunt
 implenda, velut ante est declaratum : ut adeo D. Ani-
 madvertens in Deduct. Germ. §. 6. illud vaticinium
 adhuc implendum restare minus recte afferuerit, cum
 per genuina Exegeseos principia aliud jam sit demon-
 stratum. Atq; ita ex hoc Exemplo apparent, quantus
 etiam rationis nostræ in Expositione sacrarum li-
 terarum usus deprehendatur.

LXXXVII. At si quis etiam ulterius hic velit
 progredi, & illa quoq; rationis ac Philosophiæ Axi-
 omata pro fidei & Expositionis Scripturarum prin-
 cipio nobis obtrudere, quæ saltem per Inductionem
 cognita habemus, & quorum contradictionia non im-